DE HAEMORRHOIDIBUS AC TUMORUM HAEMORRHOIDALIUM ANATOMIA ET CAUSIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE III. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXLII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MICHAEL MUNK
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

D. BRUEHL, *MED. ET CHIR. DR.*
M. JOACHIMSTHAL, *MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.*
S. SAMOSCH, *MED. ET CHIR. DR.*

BEROLINI,
TYPIS JULII SITTENFELD.

VIRO

HUMANISSIMO FAUTORI BENIGNISSIMO
CARISSIMO

L. S. COHN jun.

NEC NON

VIRO

HONORATISSIMO FAUTORI HUMANISSIMO
OPTIMO

ED. FRIEDEBERG

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS GRATI

ANIMI LEVISSIMAM TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ad illam sanguinis fugam designandam, quae fit ex ano consulto usi esse videntur medici antiquissimis temporibus nomine haemorrhoidum. Nostris etiam in scholis hac ratione suffultis non solum nomen haemorrhoidum est receptum, sed et sola illa molimina nuncupandi hoc nomine consuetudinem retinuimus. Mirum quidem nec ulla vix ratio est, cur tumores seu varices coeci titulo eodem insigniti sint. Tamen principiis nosologicis jam convenit, haem. nomen ad omnes adhibere illas affectiones morbosas, quae ad intestinum rectum ex diathesi haemorrhoidali exoriantur; ceteris vero morbis, qui inde originem trahant, nonnisi nomen adjectivum haemorrhoida-

lis adjicere, ut dicatur v. g. haemoptysis, haematemesis haemorrhoidalis. Quae igitur intestini recti vitia, ab aliis ex aliarum corporis partium vitiis obortis, hic nobis distinguenda quaeque ani profluvia ab aliis pituitosis seu puriformibus, haud raro ab eodem scaturientibus, hic disjungenda sint, ex praemissis eluceat. Nobis in animo est, nonnulla disserere de illa ex diathesi haemorrhoidali provocata profusione sanguinolenta et de illo fluxu ani semper fere ex varicibus exorto, qui solus communi haemorrhoidum nomine ratione idonea nuncupatur.

QUOMODO VARICES IN VENIS PRAECIPUE EXORIANTUR.

Jacturam continuam integrae corporis substantiae, cum motuum vitalium necessitate patiamur subsidia continua alimentorum, in humorum formam commutata, et traducuntur et immiscentur sanguini. Hic deinde nutritioni aptus, per porosam undique omnium partium substantiam, in circuitus solidorum fluidorumque transmittitur, qui jacturam illam restauret et in integrum restituat corpus. In secessu vero per vasa capillaria, tenuissimi arteriarum ramuli et venarum radicula excipitur, et a venis ex his paulatim prodeuntibus retrorsum in atrium cordis reducitur.

Hic decursus anfractuosus quo facilius perficiatur, vasis sanguiferis vis elastica inest, qua eorum parietes extensi, causa sublata, in pristinum se restituunt statum. Habenas etiam nervulos habent, quae pro animae imperio (voluntario aut naturali) aut stringuntur et laxantur aut extenduntur; unde pari passu vasa, quae ambiunt, plus vel minus patula fiunt, quem effectum nomine toni vitalis designare solent viri docti. Quae cum ita sint, tamen pro varietate structurae vasorum diversae etiam sunt in venis atque in arteriis. Fibrae enim tunicae mediae arteriarum (sec. Ill. Purkinje et Räuschel) introrsum longitudinales, extrorsum transversae, et tenaces sunt et tensiones habent aequales; venarum vero fibrae longitudinales, ex parte modo transversae, multo ductiliores sunt, ita ut venae non solum arteriis comitibus fere duplo capaciores, sed etiam ratione tenuitatis parietum, a simili vi fluidi immissi, una tertiave parte magis accrescere possint, quam arteriae ejusdem nativae diametri. Hinc tumores etiam maxime dilatantur, cum infarctus ex arteriis in venas transiit. Id quod fieri videtur in odontalgia catarrhali. Nam materia cocta et fluxilis cum evasit, tum subito intumescunt genae, simulque dolor remittitur, quia venae multo laxiores et minus sensibiles textus sunt quam arteriae. Porro certum est, intra fistulas osseas fieri quandoque congestiones maximas, quae tamen parietum osseorum resistentiam vincere non possunt,

unde nullus fere tumor; e contrario in vasis lymphaticis vel levissima pressio lateralis vas in molem magnam extendit.

Hinc elucet, quo densiora et compactiora sint vasa, eo majorem esse eorum resistentiam. Sic arteriae ejusdem crassitiei ac venae, cum duplo vel triplo habent firmitatem majorem quam illae, tanto minus eadem pressione interna diducuntur et dilatantur.

Imo secundum Hales (Haemostatique expériment.) tenacitatis arteriarum vis vicies major est quam maxima vis sanguinis per illam perfluentis.

Iure igitur contenditur, sanguinem solum vasorum intumescentiae causam sufficientem esse fere nunquam; si vero praedispositione qualibet hereditaria, vel morbis praegressis, resistentia parietum est minuta, aut ipsius sanguinis indoles vitiosa, tum, ansa data, arterias quidem rarius, venas vero saepius inveniri posse dilatatas et diductas. Quum vero vasa, si vi columnae fluidorum incumbentium dilatentur, etiam prolixari et longiora fieri debeant, ut Hydraulica docet et ex pulsu satis elucet [1]), venae dilatatae spiralem sibi ut assumant decursum coguntur. Remoratur ergo eo magis sanguis, retardatur ejus decursus et stagnatur. Quoties igitur sanguis infarsus in viciniam undique diffundi nequeat, toties venam

---

1) cf. Magendie journ. T. 9. p. 44 et E. H. Weber Anat. T. 3. p. 67.

hic vel illic intumescentem videmus et mox varicem illam provocatam, ex qua, nisi partibus circumjacentibus sustentatur, profluvium cruentum nasci solet.

INTESTINUM RECTUM AUTEM PRAECIPUE EST VARICOSUM.

Concedamus quidem varicum molestorum nec minus profluviorum cruentorum sedem in omnibus fere corporis partibus posse inveniri, tamen nullum fere organon molestis illis varicibus saepius vidimus obtectum, quam rectum intestinum; nec ullum fere aliud cruentum profluvium generi humano est proprium, quam illud ex eodem exortum. Viros praecipue, minus sexum sequiorem, imo infantes teneros et decrepitos senes haud raro accusantes audimus haemorrhoides.

1. Iam ex anatomica (partium) structura et situ licet comprobare, causam proximam hujus mali quaerendam esse, et in aucto sanguinis impetu ad intestinum rectum, et in impedito reflexu sanguinis. Rectum ab ultima lumborum vertebra et a flexu semilunari iliaco colon in rectitudinem exporrectum descendit secundum os sacrum retrorsum in pelvem. Ut in oesophago, ita in hoc ultimo intestino undique regnant illi tres fasciculi musculares, totam ejus longitudinem tenentes, quo inferius eo arctiore semper spatio

sibi adplicati, ita ut ani sphincterem forment. Arteriae ad rectum progredientes sunt haemorrhoidalis interna, ex mesenterica inferiore exorta, cujus ramuli partem superiorem intestini recti circumdant; maximam hanc haemorrhoidalium sequitur ex utraque parte art. haem. media, ramus pudendae internae vel ischiadicae. Ab ea sanguis adducitur et ad inferiores recti musculos et ad prostatam et ad vesiculas seminales. Extremae denique cuti proximae sunt arteriae haem. externae, quae ex pudenda communi sanguinem suppeditant ano, sphincteri et telae adiposae hic sitae.

Hae vero omnes, permultos undique ramulos inter se communicantes, disperguntur et rete densum continuumque circa intestinum per fibras musculares formant. Eodem modo venae sanguinem reducentes, inter tunicam mucosam et fibras musculares retiformiter circumdant intestinum rectum. Venae haem. externae, regionem sphincteris ani ambientes, et per partem posteriorem perinaei transverse ad venas pudendas communes penetrantes, inferiorem retis partem formant. Venae superioris recti formant venam haem. internam, cum colica sinistra conjunctam et ad venam lienalem decurrentem, quae deinde per ven. mesentericam in venam portarum sese effundit. Venae haem. mediae, e parte media incipiunt et in utroque latere pelvis minoris ad ven. hypogastricam asscendunt.

Vena mesenterica minor cum vena cava inferiore et vasis prope anum jacentibus cohaeret, ut demonstratur ab Ill. Schlemm. Infimum itaque omnium abdominalium intestinum rectum, satis large vasis exstructum, quibus haud levis momenti obstacula opponuntur, v. g. ex saliva, e succo gastrico, mesenterico, pancreatico, bili etc., ab organis vicinis, a vesica semper impleta, ab excrementis intus in eo accumulatis et ab intestinis super impositis premitur. Quid igitur mirum, si majore sanguinis affluxu, per art. irritatas, segniore vero refluxu per venas situ infimas nec valvulis exstructas venae dilatentur et mox varices provocentur maximi?

II. Nec praetermittendum est, id quod observationibus confirmare possumus, in omnibus musculis circulariter rotundam cavam molem ambientibus, ut sphincteris, vesicae, orificii uteri et his similibus, facile in varices intumescere solere venas.

NUM TUMORES HAEM. IN NUMERO VARICUM HABENDI SINT, NEC NE?

Hoc satis jam dijudicatum est auctoritate virorum doctorum, qui in dissecandis cadaveribus plurimum valeant.

Morgagni[1]), Boerhave[2]), Reil[3]), Baillie[4]),

1) cf. de sede et causa morb. Epist. 32. 2) praelection. 112. 3) Fbr. lehr. B. III. S. 183. 4) Anat. des krkhft. Baues.

Meckel[1]), Otto[2]), Dupuytren[3]), et multi alii eos veros varices esse habendos contendunt. Idem elucet ex accuratissima descriptione tumorum haemorrhoidalium ab Ill. Froriep edita[4]). His verbis exhibet summam: se non posse, quin omnino eam opinionem defendat, quae tumores haem. in veris habeat varicibus, licet raro sinceri eveniant, sed in plerisque omnibus casibus cum luxurie telae cellulosae subcutaneae conjuncti sint. Quod quidem non solum in haemorrhoidibus, sed etiam in omnibus aeque varicibus observari.

1) Tumores haem. continuo cohaerere cum venis.

2) Membranam internam venarum uno tenore et, uti videatur, immutatam in istas cavernas dilatatarum venarum transire.

3) Membranas cavernarum a circumdante tela cellulosa multum differre et utrasque facillime divelli posse.

4) Nusquam sibi obvenisse sanguinem, qui non a peculiari membrana fuerit inclusus.

5) Membranam, quae sanguinem circumdederit, semper laevem nitidamque fuisse.

6) Quotiescunque externe tumor aliquis prominuerit, huic ne ulla quidem exceptione respondisse vel simplicem vel multiplicem extenuatio-

---

1) pathol. Anat. II. I. S. 254. 2) Lehrb. d. pathol. Anat. I. S. 177. 3) Leçons orales. I. XIV. S. 341.
4) conf. chirurg. Kupfertafeln. Hft. 62.

nem earum venarum, quae in tela cellulosa subcutanea jaceant, neque usquam se telae cellulosae meram cumulationem concretionemve vidisse.

7) Semper vero in propinquitate dilatatae venae telam cellulosam et commutatam et concretam fuisse.

8) Nunquam tale quid fuisse, quale sit id, quod teleangiectasiam vocent, immo praeter venarum cavernas pauca vasa sanguifera in illis tumoribus (sc. in eorum tela cellulosa) esse videri. Praeterea tumores haem. non ex una vena, sed ex multis vicinis et inter se cohaerentibus ramulis venularum nasci ex sua disquisitione patere. — Nobis quoque ex investigata structura anatomica horum tumorum liceat referre quae sequuntur.

Tumores in homine vivo sanguine tumentes et extensos, post mortem paululum sanguinis coagulati magis quam fluidi continentes vidimus. Involucra eorum erant formata ex membranis intestini recti mucosis communiter cum cute externa et vix poterant dissolvi. His vero rescissis, venam dilatatam vidimus. Alii vero iique haud pauci non consentiunt. Sic A. G. Richter[1]) contendit, se non concedere nodos saccosque haemorrhoidales venarum intestini esse varices,

---

1) Anfangsgründe der Wundarzneikunst. Göttingen. 1799.

alias vero et, ut sibi videatur, in plerisque vasis eos ex sanguine sub interna membrana intestini effuso oriri.

Illorum verum sententiam (ut Laennec, Abernethy), qui tumorum structuram peculiarem, quam vocant erectilem, esse credunt, Gendrin[1]) in observando diligentissimus, satis refutavit. Qui quamquam recentissimo tempore studuit comprobare, venas nullam habere partem tumor. haem., tamen multis disquisitionibus ab Haase institutis ita est conversus, ut opinionem pristinam amplecteretur et cum Hodgson, Lobstein, Froriep statueret, tumores haemor. non ex propria aliqua vasorum conditione, sedex communi ramulorum dilatatione oriri.

Illos enim ait ramulos tum in caeteris varicibus, tum in haemor. evidenter apparere densos. Itaque semper fieri solere, ut varix descendat ad ramulos venae; inflammatione vero ambitu aucto, vasorum tortus simul atque flexus amplificentur. Omnes ab Haase explorati tumores haem. ani differebant tantum magnitudine et numero ramorum, qui participes essent dilatationis venarum; structuram vero omnino eandem habebant. Eodem auctore minimi venarum rami, qui varicosi fiant, tam frequenter ad anum siti sunt atque inter se tam crebro communicant, ut propterea maximam

1) Traité phil. de médic. prat. Paris 1838. T. I. p. 332. Uebersetzt v. Neubert. Leipzig 1839. B. I. p. 250.

telae partem hoc in loco audeas erectili proximam habere. Dum plures vicini rāmi eodem tempore extenduntur, tumores haem: formantur, qui interdum magnitudine inaequali, lineae instar margaritarum circum ani orificium circumeunt, nonnunquam extra, nonnunquam intra hoc siti; sed rarissime multum supra sphincterem eveniunt. Ac fere idem docuit Ill. Froriep. Quod enim, inquit, attinet ad eam sententiam, quam Beclard[1]) de tumorum haem. structura tulit, adnotem necesse est, revera me supra tumores cum amplificatione venularum tenuium perspexisse implicationem nodatam, quae speciem habebat telae, ut ita dicam, teleangiectasiae; sed nihil erat nisi simplex conglobatio venularum, quae eo facilius evenire potest in morbo, quo venae in his locis arctius sunt collectae. Alii alias nobis referunt sententias et modo huc, modo illuc fluctuant eorum asseclae. Quum vero omnes illae commutationes et luxuries, quas hi vel illi vidisse se contendant, magis secundariae quam primariae sint habendae, sequitur, ut tumores haem. in varicum numero habendos esse veri sit simillimum. Et omnino quid est, cur in ani et intestini recti varicibus aliter fiat atque in iis, qui sunt in crure, qui cum initio nihil sint nisi venae tumidae, postea intercutem lympham exsudant, qua exacta in massam informem transeunt.

---

1) Elém. d'anat. génér. 362.

Si igitur horum omnium opinione hi tumores, ideoque etiam profluvia illa haemorrhoidalia in venis sedem habeant, mirum, quod jam antiquissimis temporibus sub doctis lis erat, num venae an arteriae fons essent illius profusionis sanguinolentae ex ano.

Puta pro arteriis certant Neufeld, B. C. Brodie, Lobstein [1]). Qui rem in medio relinquunt et alias aliis vasis hoc negotium committunt, inter alios sunt: Fr. Hoffmann [2]), Reil [3]), Trnka [4]).

Pro venis certabant Stahl [5]), Baillie [6]), Meckel [7]), Voigtel [8]), Otto [9]), Hodgson [10]), Haller [11]). Etiam Osiander, Prochaska, Carus [12]), Bayle [13]), eadem sunt sententia. m. in l. — Dupuytren [14]) his verbis utitur: Alberti, Vesal, Morgagni, I. L. Petit, Pinel, Boerhave considèrent les bourreletes comme

1) cf. pathol. anat. I. 2. S. 284. 2) Abhandl. v. d. Goldader S. 21. 3) T. III. S. 181. 4) De morb. haem. T. I. §. 4. 5) Alberti Icon. c. P. I. p. 69. 6) Anat. übersetzt v. Sömmering. Berl. 1794. S. 101. 7) pathol. anat. II. 1. S. 254. 8) pathol. anat. II. S. 650. 9) Lehrb. d. pathol. Anat. I. 177. 10) Krkht. der Art. u. Ven. Hannov. 1817. S. 578. 11) physiol. T. VII. L. XXIV. §. 12. S. 124. 12) Gynaecolog. I. S. 95. 13) Dissert. de sympath. p. corp. animal. S. 28. 14) Leçons orales. T. IV. p. 120. Bruxelles 1839.

de veines dilatées véritables varices et telle est aussi notre opinion.

Huic vero sententiae nobis etiam consentiendum est, quippe cum sine tumoribus nullus fere haem. fluxus, tumores vero, ut supra demonstratum est, non nisiin venis oriri soleant. Praeterea fluxus haem. non uno tenore, sed, ut ita dicam, guttatim plerumque rorat, nec magnum virium collapsum eum sequi vidimus, quod foret necesse, si quid ex art. destillaret. Denique sanguis respecto colore, magis venoso quam arterioso est similis.

QUOMODO FIAT EFFLUXUS.

Stieglitz[1]) affirmat tumores haem. interdum veros esse varices, sed tam raro, ut haec sit vulgaris conditionis insueta exceptio; saepissime constituuntur ex illo sanguine, quem vasa capillaria effundunt.

Baillie[2]). Tumores haemorrhoidales plerumque integri, interdum tamen in iis sunt ostiola, per quae interdum sanguinis haud parva copia effluit.

1) cf. pathol. Untersuchg. B. II. 1832. 2) L. c.

Hodgson et Voigtel[1]. Tumores haemorrhoidales constituuntur nonnunquam dilatationibus varicosis ramulorum ven. haemorrhoidalium. Vasa dilatata rumpuntur et permagna copia sanguinis saepe effluit. Alii et hi permulti credunt foramina adesse, quae certis quidem temporibus dehiscant, alias claudantur. —

Andral[2]) causam tumorum haem. in venis ponit, sed praeter dilatationem etiam alias earum admittit commutationes et sex diversa tumorum genera memorat, ac membranas poris perforatas descripsit.

A. I. Jobert[3]) adeo contendit, ultimos ramulos et art. et venarum pervios in intestino recto desinere, dum satis constat et omnes physiologi consentiunt, omnes arterias per vasa capillaria in venas transire.

Probabiliora jam nobis refert, ut mihi videtur, Lobstein[4]), qui disquisitionibus Recamieri[5]) (hic enim aquam, cui sanguinem adjecerat, per arterias in tumores haemorrhoidales transire vidit) ductus contendit, tumorum haem. structuram peculiarem esse, quam vocant erectilem, spleni vel

---

1) L. c. S. 578. 2) Grundriss der path. anat. v G. Andral, übersetzt v. F. W. Becker. B. II. S. 239. 3) Traité théorique et pratique des maladies chirurgicales. T I. p. 123-25. 4) L. c. — 5) Diction. des scienc. méd. XX. p. 462.

corpori cavernoso comparandam. Ideoque ejus ipsissimis verbis utar: „Ideo non ut antea per rupturam venae varicosae, sed actio vitalis et exsudatio est superficiei tumoris erectilis.“ Cujus sententiae haudquaquam in omni parte consentirem', tamen in eo, haemorrhoid. fluxus per exsudationem fieri. Neque mirum, quippe cum et in aliis organis idem fieri haud raro nobis videre liceat.

Bilem nempe exsudatam non solum in partibus circumjacentibus, quod forsan post mortem factum esse possit, sed etiam magnam copiam in toto cavo abdominali vidimus, si ductus choledochus vitio aliquo clausus erat: ubi, ut Blase[1]) in observationibns suis refert, vesicae membrana ita extensa et emollita erat, ut facile videri liceret permeatum per eam bilis. Sic haud raro in hydropicis vel in aliis corporibus debilitatis vidimus magnam copiam sanguinis in cavo abdominali effusi, nulla vasorum ruptura. Talia nobis in observationibus suis referunt D. I. Themel[2]), Anton de Pozzi[3]), Murray[4]). His verbis etiam Carus[5]) usus est: menstruatio ipsa nihil aliud nisi venarum exsudatio est, id quod testatur menstruatio observata ab Ill. Osiandro[6]) in

---

1) Observation. med. T. II. observ. IV. S. 38. 2) Ausführl. anat. Nachricht. Chemnitz 1740. 3) Miscell. nat. curios. Dec. I., Ar. IV. obs. 41. 4) Med. Biblioth. B. III. 392. 5) L. c. 6) Annal. der Entbindungsanstalt zu Göttingen. I. S. 175.

uteri prolapsu. Nos ipsi observavimus in clinicis obstetriciis Vratislaviae, ope speculi vaginalis, apud puellas, dum menses fluebant, guttulas sanguinis ex orificio uteri scaturientes paulatim, tamquam sudor cutis poris. Cur igitur fluxum haem. eodem modo fieri negemus, si venulae valdedilatatae, in rugis et membranis ramificatae, mole sanguinis ipsius jam irritatae, faecibus saepe comprimantur?

QUID SIT ID QUOD PROFLUIT.

Sententiae antiquorum recentiorumque doctorum virorum nobis occurrunt de eo, quid sit id quod profluit, haud parum diversae. Sunt qui dicant secretionem esse peculiaris indolis. Huic opinioni congruit etiam id, quod experimentis institutis nobis traditum est, in venis dilatatis sanguiuis mixturam mutatam apparere. Spissitudine nempe laborat, cujus causa est quaerenda in ejus majore fibrinae quantitate et corpusculis sanguinis, minore vero seri.

Neque desunt, qui cum menstruis illum fluxum conferant. Revera haemorrhoides multis rationibus illis similes esse videntur. Etenim et hae et menstrua ex venis profluunt, typo quodam saepe redeunt et evanescunt, in mulieribus haud raro alternant. Nec negari potest, quin tum antequam perrumpunt, tum quando redeunt, tum quando impeditius procedunt, iisdem fere molimi-nibus crucient homines, eundemque peculiarem

habeant effectum in valetudinem, et vitio quodam suppressa provocent morbos haud inter se discrepantes. Nec omittendum est, quod nobis quoque observare licuit phaenomenon, sicuti in mulieribus durante menstruatione, item desiderium coeundi adauctum[1]) in viris haem. laborantibus, eoque pollutiones nocturnas creberiores esse.

RES FORSAN ITA EST.

Cum in intestino recto, tum in utero, affinitate physiologica jam conjunctis[2]) et ob situm in infimo pelvis loco et ob congregatas in iis venas sanguis facile coacervatur, ideoque in eorum vasis actio vitalis adaucta provocatur. Causa tamen proxima actionis adauctae uteri esse videtur nisus naturae, quo penus tanquam chyli illiquatur in illius gremium, quo utatur in posterum ad foetum nutriendum. Ante graviditatem hic immiscetur sanguini, quare quasi supervacaneus venit elutriendus et mensium fluxus oritur. Connexus vero uteri cum toto organismo cum sit peculiaris, iisdem conaminibus naturae mulieres ad concipiendum redduntur aptiores. Tempore ergo graviditatis cessant menses, quod chylus ille consumitur a foetu nutriendo; itemque feminae lactan

1) cf. Niemeyer. Dissert. inaugural. p. 30. — Nic. Venette de la generation de l'homme. Cologne 1696.
2) cf. Carus. Gynaecolog. S. 134.

tes semper fere mensibus destituuntur, quod lactis uberrima secretio magnam vim chyli consumit. Inde una cum fecunditate menses etiam plane cessare videmus.

Est igitur menstruatio opus naturae, huic generi praescriptum, quod ex ejus communi fabrica sequitur, et uteri functio est, sano quidem corpore, sine qua non concipiunt. Quin ovario exstirpato menses jam fluere non solent [1])

Si vero in intestino recto actio vasorum adaucta provocetur, haec non nisus sed potius aberratio naturae est a statu normali, stimulo morboso prodita, qua mutui nexus lege abalienari debeant functiones secretionesque mutari. Stimulum illum morbosum si requisiveris, facile invenies in systemate chylopoetico; functio ergo digestionis in haemorrhoidibus est fere semper perturbata. Cujus perturbationis producta sunt spectanda, acida quaedam, quae in diversis secretionibus diversis plerumque basibus annexa observantur, quaeque medici priorum temporum acrimoniam arthriticam nuncupare solebant. Utrum ea, quae procreantur, acida chemismo corporis humani organico omnino sint aliena, an tantummodo, id quod verisimilius videtur, quantitas acidorum augeatur, in hoc vacillat adhuc doctrina nec satis constat. Sic v. g. quantitatem acidi muriatici et acetici ventriculi, acidi urici urinae adauctam observamus. Haec materies peccans in corpore usque ad gra-

1) cf. Pott. chirurg. Werke. Berlin 1787.

dum quendam, qui saturationem quasi significat, colligi solet, quo facto subito materiae pathicae e corpore eliminandae veniunt. Harum igitur sequela magna morborum turba est, nec non haemorrhoides.

Quae cum ita sint, patet, quomodo fiat ut cum menstruis alternare et similes morbos in ipsorum recessu provocare valeant haemorrhoides. Quoties nempe supervacanea aut noxia ex corpore eliminanda, denuo in omnes sanguinis praeterfluentis aditus mixturae affundantur, toties videmus naturam providam conantem, colatoria naturalia compensare et eliminationem aliam creare. Modo per excretiones alias magis incitatas, e. g. sudore, urina, dejectionibus alvinis; modo per novas modo excitatas excretiones, e. g. ulcera; modo organo alio irritato, siquidem locum praebeat minoris resistentiae, veluti facile evenire potest, ut sanguis, qui venis haemorrhoidalibus expellatur, venis pulmonalibus eliminetur. Quare phlebolides saepissime in venis dilatatis haemorrhoidalibus, spermaticis et vesicalibus inveniantur. Inde etiam haem. cum arthritide soleant alternare [1]), et satis excusata est illa quaestio Alberti [2]), num fluxus haem. feminarum revera sint habendi haemorrhoides. Inde observamus

---

1) cf. Lobstein pathol. anat. T. I. S. 434. 2) T. I. S. 99.

denique, arthritidem saepius viros, rarius feminas invadere.

Quod vero ad odorem illum peculiarem, quem alii ut in menstruis, sic quoque in haem. percipi volunt, pertinet, vix eum commemorem, nullum enim vestigium nec in hisce nec in illis hujus rei evestigare potui, et si quid animadverteris tum quaestio erit, num haec sanguinis indoles morbosa sit, an magis in causa sit ejus retentio in loco calente, in vicinia faecum alvinarum. Nimium vero est, si ex singulis casibus, ubi immunditiem etiam accessisse non sine probabilitate contenderim, lex pro omnibus et mundis et sanis hominibus conditur. Si denique quaeras, cur typo quodam redeant cessentque, non magis credo me ad respondendum cogi quam cogerer, si quaereres, cur nono mense foetus humanus edatur, alio mense equinus; aut cur aliae plantae alio mense floreant aut maturescant.

Jure igitur affirmaverim, haem. non esse ejusmodi naturae opus ut menstrua, neque beneficium [1]). Longe etiam plerique inter homines laboriosos, rusticos, qui corpus diligenter exerceant, eo fluxu vacant neque ita infestantur. Quin etiam inter litteratos et sedentarios homines plurimi eo malo carent, et qui patiuntur, videntur laborare indole morbosa sanguinis aut praedispositione quadam congenita; et his minus va-

---

1) de Haen. ratio med. VII. S. 230.

lidis triste quidem remedii genus, tamen solatio esse posse putes.

Ipse denique Stahlius[1]), magnus haem. laudator, fassus est[2]), non esse eas in consuetudinem recipiendas, quarum successus dubius sit: sed Hippocratem secutus suadet, quae jam invaluerint, eas quidem esse retinendas.

Est enim haem. fluxus vacillantis sanitatis comes et aurei illi montes, quos sibi haemorrhoidarii medici pollicentur, parturiunt saepe poenitendos morborum eventus. Hilchen[3]).

Natura evacuationi per haemorrhoides non adsuefacienda est, quia facile excedit et hydropem in excessu succedente procreat. Galenus[4]).

Omnia sunt praeter naturam, cum haemorrhoidales affectus naturaliter nemini contingant. Ettmüller. Sie sind selten und zwar eine traurige Wohlthat der Natur. Tissot an Zimmermann. Observ. II.

DESCRIPTIO TUMORUM HAEM.

Ad hanc eliminationem haemorrhoidalem homines obesi, pingues, pectore parvo et omnino

1) de motu sang. haem. S. 29. 2) Richter de moderand. haem. laudib. 3) cf. ejus dissert. de dolore coxae §. 11. 4) cf. de fac. natural. L. III. c. 8.

organis abdominalibus praevalentibus propensisunt. Quem habitum Schoenlein haemorrhoidalem vocari posse existimat. Stadia vero tria in haemorrhoidibus observantur. Primum complectitur evolutionem morbi seu diathesin haemorrhoidalem; secundum conamen naturae illam diathesin morbosam per profusionem sanguinis adaequandi, molimina haemorrhoidalia seu congestiones haem.; tertium denique ipsum sanguinis vel et materiae pituitosae aut puriformis ex intestino recto profluvium, fluxum haemorrhoidalem. In illo stadio secundo seu congestionis tumores et nodi ad anum nascuntur vel in intestini recti cavo, multitudine, magnitudine, et forma et indole varii. Minores eorum, magnitudinem pisi usque ad castaneam referentes, nodi haem.; majores, ovum columbi ulterioremque magnitudinem referentes, sacci haem. dicuntur. Initio hi tumores saepe asparagi turionum capitulis haud dissimiles, coloris e rubro coerulei sunt et aut in externo intestini recti margine insident oculisque patent (haem. externae), aut intestini recti partem sub sphinctere sitam, vel et superiorem obsident, nec nisi speculo ani aut digito immisso deteguntur (haem. internae). Sic etiam nobis refert Dupuytren:

L'externes se reconnaît à une rangées circulaire de tubercules lisses et arondis d'une couleur brunâtre a l'extérieur, ou ils sont recouverts par la peau d'un rouge vif à l'intérieur ou la

membrane muquese forme leur enveloppe etc. — L'interne situé au dessus de l'anus et souvent étranglé par les sphincters, par suite engorgement ou de la chute de la membrane interne du rectum (complication frequent des tumeurs haemorrhoidales) donne lieu eux mêmes accidents et se reconnaît à la teinte d'un rouge vif des tubercules.

Alii haem. externas nominant, quae ex art. haem.; extern. internas, quae ex art. haem. intern. originem ducunt. Sed si anatomicam structuram supra descriptam respicimus, facile apparebit nobis inanem esse hanc divisionis rationem. Connexus enim art. haem. tam multiplex est, ut vix ac ne vix quidem dijudicari possit fluentibus in margine recti haemorrhoidibus, utrum ab hypogastricis sanguis prosiliat, an a ramis mesentericis.

Stahl haem. externas vocat affectiones ven. haem. externas, quae in venam hypogastricam influant, docuitque haem. externas rarius fluere, facile vero dolorificos procreare varices; sed internae haem., quae propagines sunt splenici rami, ad interiorem substantiam porriguntur una cum arteriolis ex meseraica inferiore productis, quae fontem fluxus effusioris praebent, et suppressae magnos multosque provocant morbos in organis illis, quibuscum in connexu sunt vasa. Eum secuti magnam morborum turbam nobis pronuntiant, quorum hi internarum, illi externa-

rum haemorrhoidum sint sequelae, simulac vitio aliquo sint suppressae. Hanc vero theoriam studio diligentiore sructurae anatomicae satis refutavit Haller [1]), apud quem haec legimus: „Has, (sc. haem. extern.) etiam esse credo, quas haemorrhoidalem non perpetuam ab hypogastricis ortam vocat Caspar Bauhinus (Theatr. p. 67.). Et merito, nam in omnibus, quae secui cadaveribus, in his ipsis venis sedes fuit haemorrhoidum, et si pro consuetarum haemorrhoidum sede venas a vena portarum habet Vesalius, ad sua, alia a nostris experimenta. p. 663. et L. III., c. 5.

Sed id omnino ne potest quidem fieri, nam inter haemorrhoideas internas et externas mediae intercedunt et nunquam non quatuor vel ultra pollices in longitudine intestini recti solae occupant.

Idem refert in Elem. physiolog. I. VII. L. XXIV. sect. 3. §. 34.: Vena haemorrhoidea media Art. similis est. Haemorrhoideae externae sunt a pudenda et circumflexa et communi, quarum varices haemorrhoidum nomine innotuerunt, ut certo vidi.

Ad anatomicam structuram intestini recti respicientibus et tantis auctoribus suffultis nobis facile est intellectu, quam falsa sit illorum opinio, qui haem. cum systemate venae portarum directo communes esse censeant. Si quidem illa rara

---

1) A. Haller Jcon. fasc. IV. Tb. I. art. pelv. Not. 12.

de quibus Baillie [1]) Vesalius [2]) et Reil [3] commemorant, quae in remotis intestinis, vel in ventriculo vel in mesenterico sunt inventa, quamquam concessa causa haemorrhoidali, tamen a consuetis haemorrhoidibus rejicit usus. Nec illi connexus, quibus Brechet ex vena cava inferiore mesentericam minorem implevit, aut illi, quibus Schlemm in regione ani venam mesentericam inferiorem cum systemate hypogastrico cohaerere demonstravit, tam insignis momenti esse videntur, ut non pro certo sit habendum, omnes haemorrhoides, sive extra anum insideant, sive ultra sphincterem inhaereant, in omnibus aeque casibus ortum duxisse e venis, quae ad systema venae cavae inferioris pertineant.

Conferantur etiam Soemmering annot. in: Matthew Baillie, Anatomie des krkhft. Baues aus dem Engl. mit Zusätzen v. Sam. Thom. Soemmering. Wien 1805. 102. Voigtel Handb. d. pathol. anat. B. II. Halle 1804. p. 649. Stieglitz pathol. Untersuchung B. II. Hannover 1832.

Si vero sanguinis congestio, profusio aliaque symptomata inde scaturientia, quae natura diatheseos haemorrhoidalis exaequandae causa ad intestinum rectum excitat, non ad illud, sed alias ad corporis partes eadem ex causa exoriuntur, tum est quod haemorrhoidum anomalia, seu nomine irregularium comprehendimus. Haec malo-

1) Anatom. d. krkhft. Baues p. 102. 1794. 2) De corp. hum. fabrica. Bas. 1542. p. 663. 3) L. c. 183.

rum caterva, quae ischaemia haemorrhoidali scaturiunt, tam magna et ingens est, ut hic ea tantum referre velimus quae crebrius occurrant, et fluorem haem. ex intestino recto oriundum compensare, vel saltem diatheseos haemorrhoidalis effectus nocivos in partes nobiliores mitigare, ab iisque derivare inprimis valeant.

Nullum corporis humani organon haemorrhoidos, sive suppressae, sive retardatae, sive imminutae, effectus nocivos tam facile tamque frequenter patitur quam vesica urinaria. Nec multo rarius quam in viris vesica urinaria et prostata, in feminis aetate provectioribus uterus et vagina ischaemiae haemorrhoidalis effectus nocivos persentiunt.

Frequentissima denique una forma quae ineunte morbo haem. statim a principio nascatur, est illa, ubi congestio quidem in pari planitie cum intestino recto exstat, at non hic, sed in venis funiculi spermatici prodit: varicocele ex causa haemorrhoidali.

His omnibus satis confirmatur, id quod supra a nobis dictum est, actione vitali adaucta aberrationem naturae a statu normali procreari. Praecipue vero elucet ex varicocele e causa haem.

Nam sicuti in intestino recto, ita quoque in plexu funiculi spermatici pampiniformi dispositio ad tumores varicosos per se jam satis magna est. Accedit primum, quod calore sempiterno scrotum relaxatur et in ejus musculis et tunica, quae dartos vocatur, enervatio efficitur, quae contractilitatem fere plane impedit et venarum parietum vim elasticam valde minuit, ita ut sanguis in ve-

nis accumulari debeat. Tum masturbatione et abusu coitus, vel si hoc minus, etiam solis mentis imaginibus excitantibus sexus orgasmus producitur, qui contra illas sustentat; eo modo testibus adaucta sanguinis copia congesta venas relaxatas extendit. Denique pressio sanguinis in immensa amplificatarum venarum copia funiculi spermatici, cujus sanguinis columna a secunda dorsi vertebra incipit. Quid mirum, si testis non satis a scroto relaxato adjutus et suo ipsius ponderi permissus, illam sanguinis columnam adhuc longiorem reddat et praecipue, pelvi minus inclinante, vasa funiculi spermatici super os pubis, veluti, auctore Petit, modiolus funem super trochleam trahat.

Quot porro quantaque tum acuta, tum praecipue chronica mala ischaemia haemor. exoriri possint, id facile intelliget, qui connexum et rationes considerat, quas organa abdominalia cum reliquis corporis partibus celebrent. Et mehercule a veritate minime aberrant, qui multorum etiam et oculi morborum fontem in morboso organorum abdominalium statu quaerendum censeant. Certum enim est easdem membranas, aut mucosas, aut vasculosas, aut serosas, aut fibrosas, quacunque in corporis parte locum habeant, sive in oculo, sive in cranio, sive in pectore, sive in abdomine, ab iisdem semper affectionibus morbosis corripi, eodem modo inde mutari, mutatasque eadem ratione ad statum pristinum reduci.

VITA.

Natus sum Michael Munk fidei mosaicae addictus, anno h. s. XII. Rawicz urbe magniducatus Posnaniensis, patre mercatore Siegmundo, quem adhuc viventem gratissimo animo veneror, matre carissima Joanna de gente Lasch, quam mors praematura mihi dereptam valde lugeo semperque lugebo. Juvenis jam viginti annorum gymnasium Vratislaviense St. Elisabethae, quod rectore cel. Reiche tum florebat adii, ibi-

que per tria semestria studiis humanioribus incubui. Morbo correptus hanc scholam reliqui et spatio aliquo praeter lapso gymnasium Schweidnitziense frequentavi, quod sub auspiciis cel. J. Held adhuc floret. Cui viro spectatissimo propter eximiam ejus humanitatem et summam benevolentiam, quibus me amplexus est, semper summas omnium gratias habebo. Maturitatis testimonio exstructus almam universitatem Viadrinam adii, ubi ab Ill. Bernstein t. t. Rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, sub auspiciis Ill. Betschler t. t. Decani maxime spectabilis, ordini medicorum gratioso nomen rite professus sum. Abhinc per quadriennium hisce interfui praelectionibus:

Ill. Braniss, de logice et psychologia.

Ill. Fischer, de chemia universali et pharmaceutica.

Ill. Glocker de mineralogia.

Ill. Gravenhorst de zoologia.

Ill. Pohl, de physices hodiernae systemate.

Ill. Nees ab Esenbeck, de botanice generali.

Ill. Otto, de anat. corp. humani, de anat. comparata, de osteologia et syndesmologia, de histor. foetus, de arte cadavera in foro dissecandi.

Ill. Benedict, de chirurgia generali et speciali, doctrina de fasciis rite applicandis. Interfui operationibus etiam chirurg. et ophthalmiatricis in cadavere institutis.

Ill. Remer, de medicina forensi, therapia generali et in exercitationibus medico-clinicis per duos annos dux mihi erat.

Ill. Betschler, gynaecologiam univers. et artem obstetritiam theoretico-practicam magno ingenii acumine me docuit et in policlinico gynaecologico, quod sub ejus auspiciis floret, occasionem fecit locupletem, morbos feminarum infantumque tractandi et parturientibus auxilium ferendi.

Ill. Purkinje, de physiologia theoretica experimentis illustrata.

Ill. Wendt, de morbis infantum, psychicis, de febribus et inflamationibus, de fontibus et aquis medicatis.

Ill. Henschel, de hodegetice studii medici, de semiotice, de biographia medic. Anno praeterlapso Berolinum me contuli et etiam hic frequentavi clinica medica et chirurg., quibus praesunt summi illi venerandi viri Ill. Jüngken, Ill. Schoenlein, Cel. Romberg.

Tentaminibns autem et philosophico et medico nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, omnibus hisce viris illustrissimis, summas quas possum gratias ago palam et spero fore ut dissertatione thesibusque publice a me defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur. —

THESES.

I. Fluxus haemorrhoidalis homini sano nunquam competit.

II. Sanguinis circuitus non e cordis contractione sola pendet.

III. Morbos salutares existere nego.

IV. Haemorrhoides quo simplicius eo felicius curamus.

V. Arteriis vim nonnisi elasticam tribuendam esse contendo.